



R. P. Thomæ Tamburini È Societate Jesu Opera Omnia

Tamburini, Tommaso

Lugduni, 1689

4. An per Bullam possit quis exigere Oratorium privatum, in quo celebretur sine alia Pontificis licentia.
-

[urn:nbn:de:hbz:466:1-78172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-78172)

3. Nota tertio prædictum Oratorium debere esse approbatum, & deputatum ad divinum cultum, quæ de re ego pluribus egit in *Opus. de Sacrif. Missæ* lib. 1. c. 4. n. 11.

4. Nota quarto illud (in sua, & suorum præsentia) quod à me pluribus explicatum invenies loc. cit. n. 28. & late item habet Trullench. lib. 1. §. 3. dub. 5.

5. Nota quinto. Illud plurale Missas, & alia officia, & illud per alium, vel alios, hæc enim verba absolute, & non respectu prolata, ostendunt mihi, non unam tantummodo, sed plures Missas concedi eodem die per hoc privilegium, nec solum semel, & iterum, & item sapè divinis officiis privatim interesse.

An habens Bullam tempore interdicti obligetur Missæ privatim interesse.

6. His ita notatis, suum hic locum habere debet illa questio: An, sicuti bullam habens potest modo dicto interdicti tempore privatim assistere Sacro, ita obligetur, quando incidit dies festus de præcepto.

Respondeo. In utramque partem, æquo quasi Marte, congregiuntur Doctores, ut late habes apud Ludov. à Cruce, lib. 4. n. 5. & latissime apud Bard. p. 2. tract. 2. c. 3. sect. 6. & Trullench. loc. cit. dub. 6.

Ratio de obligantibus (inter quos sunt Coninchi, Avila, Alterius) præcipua est, quia nemo cogitur uti suo privilegio; Is ergo qui recipit cum bulla privilegium assistendi Missæ tempore interdicti privatim, poterit hoc privilegium nolle uti, & sic stare prohibitioni interdicti, quod vetat assistentiam ad Sacrum, & pro illo tempore aufert præceptum de huiusmodi assistentia.

7. Ratio obligantium (inter quos numerantur Lud. à Cruce, Villalobos, Joan. Sanch. Trullench.) illa item præcipua est, quia in tantum non obligaris, interdicti tempore, interesse Sacro in diebus festis, in quantum impeditis interdicti lege: At per bullam hæc interdicti lex jam à te removetur, ergo, remota jam impedimento, redire debes ad obligationem assistendi.

Utriusque ratio cum probabilis, hoc est, alicujus momenti sit, utramque sententiam probabilem reddit.

8. Sed ecce, per hanc occasionem, alia subnascens questioncula. In tractatu de interdicto omnes Doctores statuunt per *Cap. Alma mater de Sent. Excomm.* in 6. concedi Clericis, & Ministriis Ecclesiæ, atque adeo Religiosis, posse, interdicti tempore, Missas, & alia Divina Officia privatim, hoc est clausis januis, &c. (ut ibi distinctius explicatur) celebrare. Jam inquiri, an dicti Clerici, & Ministri obligentur Missæ privatim interesse diebus festis.

Respondeo, obligari. Nam invenio disparitatem cum Lud. à Cruce, lib. 6. inter hos Ministros ex vi dicti capituli *Alma Mater*. & inter alios ex vi Bullæ Cruciatæ. Siquidem prædictum privilegium collatum in c. *Alma Mater*. datur Ordini Ecclesiastico, cui privilegio non potest renuntiare quilibet privatus. At privilegium in Bulla conceditur ipsi personæ in particulari, cui ipsa particularis persona renuntiare libere valet. Non est igitur mirum, si ipsa praxis & receptus inter Fideles usus declaravit, Ministros prædictos obligari ad assistendum Sacro diebus festis, tempore interdicti, quia ut dictum est non possunt, non uti privilegio concessio tori Ordini Ecclesiastico. At, quia potest persona particularis, non uti privilegio sibi dato; ideo potest in Bulla, quæ datur particulari personæ, habere locum prima sententia dicta n. 7.

§. III. *Quid concedat Bulla, quoad celebrationem Missæ in Oratoriis Privatis extra tempus Interdicti.*

1. *B* Villa præter dictum favorem valendi celebrare, vel sacre celebrare tempore interdicti in Ora-

toriis privatis, concedit etiam in iisdem eundem favorem extra interdicti tempus. Sed de hoc ego late egit in *Opus. de Sacrif. Missæ* lib. 1. c. 4. §. 4. n. 36. quare non est id cum molestia Lectoris hic repetendum.

§. IV. *An per Bullam possit quis erigere Oratorium privatum, in quo celebretur sine alia Pontificis licentia.*

1. *A* Firmat Castrop. de Brill. disp. un. p. 6. num. 2. sine his verbis Bulla ergo, inquit, concedit sumentibus ipsam ut possit habere privatum oratorium, & in eo celebrare Missas, vel celebrari facere, dummodo oratorium sit divino tantum cultui deputatum, & ab ordinario designatum juxta formam in Trid. sess. 2. in Decreto de celebrandis Missis præscriptam, & dum eo quis utitur, fundat preces pro unione Christianorum Principum, & eorum contra infideles victoria. Hæc ille, cui assentitur Lud. à Cruce Bull. d. 1. c. 5. d. 1.

2. Ratio fundamentalis hujus sententiæ est, quia in Bulla expresse conceditur, ut in Privato Oratorio visitato utique, & designato ab Episcopo tempore interdicti celebretur, ergo supponitur concedi etiam aliis temporibus non vetitis, quod est minus juxta Regulam Juris in 6. Cui conceditur quod est plus, conceditur quod est minus. Adde, in Bulla Latina expresse poni sic (etiam tempore interdicti). At particula hæc (etiam) cum exprimat casum difficiliorem, supponit, tanquam certum, casum minus difficilem.

Verum hanc sententiam prorsus rejicit Trullench. de Bull. lib. 1. §. 3. dub. 4. Gallenus de Bull. c. 4. dub. 3. Diana p. 9. tr. 1. res. 23. Medo d. 6. c. 1. n. 6. qui omnes non possunt (& quidem merito) sibi persuadere, Pontificem velle concedere Privilegium celebrandi Sacrificium Missæ in domo cujuscunque Privati, Sacrificium, inquam, quod est Summus actus Religionis, quem exercere in hac vita Fideles possunt, quemque cum summa, & possibili reverentia debent.

Hæc ex illis. Sed quia Adversarii possent, has, & similes rationes ex inconvenientia ductas eludere; illa mihi hæc de re diu cogitanti efficax menti occurrit: Quod Summus Pontifex, dum licentiam concedit, ut etiam interdicti tempore celebrari valeant Missæ in Oratorio privato, supponit, Oratorium jam esse alias ab ipso, vel ejus Delegato concessum, non autem per Bullam concedit. Sicuti cum dixit ut notavimus modo §. 2. n. 2. Concedo, ut habens Bullam possit celebrare in Ecclesia, etiam tempore interdicti, supposuit jam constitutam esse perfectè Ecclesiam, non enim per hæc verba constituit. Ita in casu nostro, Perfectè autem constituta supponitur Ecclesia, quando non solum materialiter, sed formaliter etiam est perfectæ, hoc est, legitime, ad Sacrificium Missæ in ea celebrandum, ab habente potestatem approbata.

§. V. *An Commissarius Cruciatæ possit prædictum Oratorium perfectè constituere, seu concedere?*

1. *D*ix hic sunt sententiæ. Altera negat cum Dian. p. 4. tr. 1. res. 20. aliisque, atque adeo negat Commissarium Generalem Cruciatæ posse concedere facultatem ut quis, in Oratorio domus suæ celebret, vel faciat celebrare. Ratio potissima est, inquit, quia non apparet verbum ullum in Bulla etiam Originali Cruciatæ, per quod Summus Pontifex hanc facultatem commissario quamvis generali, communicaverit. Adduntur aliæ rationes, quæ certe non ita efficaces judicantur, perinde ac prædicta.

2. Altera concedit Trullench. lib. 2. §. 5. dub. 3. numer. 7. Mend. d. 37. a num. 105. Galleg. cap. 14. d. 182. contra Dianam, modo Oratorium, antequam in eo celebretur, visitetur, & deputetur ad Divinum Cultum ab Ordina-

P p 4 rio.